

## AENEAS ENCOUNTERS LATINUS

### Reading 1

Inde rex Latinus Aboriginēsque, quī tum ea tenēbant loca, armatī ex urbe atque agruis concurrunt. Cum autem instructae aciēs constitissent, priusquam tubae canerent, processit Latinus inter primorēs, ducemque advenārū evocavit ad colloquium. Deinde rogāvit quī mortalēs essent, quō casū domō essent profectī quidve quaerentēs in agrum Laurentinum exīssent. Illi respondērunt sē esse Troianōs, ducem suum Aenean, filium Anchisae et Veneris; crematā patriā domō profugōs sedem condendaeque urbī locum quaerere. Tum Latinus, et nobilitatem gentis virīque et animum vel bellō vel pacī parātum admirātus, dextrā datā fidem futurae amicitiae sanxit.

## TURNUS' WAR WITH AENEAS

### Reading 2

Itaque ibi coeperunt Troiani munire locum, quem Aeneas ex nomine uxoris suae, Latini regis filiae, quae iam ante desponsa Turno erat, Lavinium nominavit. At vero Amata, Latini regis uxor, cum indigne ferret Laviniam, repudiātō Turnō consobrinō suō, Troiano advenae collocatam esse, Turnum ad arma concitavit. Isque mox, coacto Rutulorum exercitū, tetendit in agrum

Laurentinum. Et Latinus, adversus eum pariter cum Aeneā progressus interproeliantēs, circumventus est occisusque. Nec tamen, amissō socerō, Aeneas Rutulis obsistere destitit, tandemque Turnum interēmit. Hostibus fuis fugatisque, victor Lavinium sē cum suis recēpit, consensūque omnium Latinōrum rex declaratus est.

## THE FOUNDATION OF ROME

### Reading 3

Proca, rex Albanorum, duos filios habuit, Amulium et Numitorem, quibus regnum annuīs vicibus habendum reliquit. Sed Amulius fratri imperium non dedit; et, ut eum subole privāret Amulius, filiam eius, Rheam Silviam, Vestae sacerdotem praefecit, ut virginitate perpetuā teneretur. Quae, a Marte compressa, Remum et Romulum edidit. Amulius ipsam in vincula compegit; parvulōs in Tiberim abiecit Quos aqua in sicco reliquit. Ad vagitum lupa accurrit eosque uberibus suis aluit. Mox Faustulus pastor eos collectōs Accae Laurentiae coniugi educandos dedit. Qui postea, Amulio interfecto, Numitori avo regnum restituerunt; ipsi, pastoribus contractis, civitatem condiderunt, quam Romulus augurio victor, quod ipse duodecim, Remus sex vulturēs

viderat, Romam vocavit. Et, ut eam potius legibus muniret quam moenibus, edixit nē quis vallum transilīret. Quod Remus irridens transiluit et a Celere centurione rastrō fertur occisus esse.

## THE DEIFICATION OF ROMULUS

### Reading 4

Cum Rōmulus contiōnem in campō habēret, subitō tempestās tam densō nimbō rēgem texit ut conspectum eius contiōnī abstulerit nec deinde in terrīs Rōmulus fuit. Ubi post tantam tempestātem tranquilla lux rediit, postquam vacuam sēdem rēgiam vīdērunt, Rōmāni crēdebant rēgem in caelum raptum esse. Proximō diē Proculus Iūlius 'Rōmulus' inquit 'primā luce hodiē ex caelō ad mē descendit. " Abī" inquit, " nuntiā Rōmānīs deōs hoc velle, ut mea Rōma caput orbis terrārum sit; igitur rem mīlitārem colant sciantque nullās opēs hūmānās armīs Rōmānīs resistere posse ".

## BRUTUS INTERPRETS AN ORACLE

### Reading 5

Tarquinius rēx Delphōs ad consulendum ōrāculum duōs filiōs mittere statuit. Itaque Titus et Arruns profecti sunt; comes iis additus est L. Iūnius Brūtus, sorōre rēgis nātus. Postquam Delphōs ventum est, confectis imperiis patris, cupidō incessit animos iuvenum quaerendū ad quem eōrum regnum Rōmānum esset ventūrum. Ex infimō specū vōcem redditam dīcunt 'Imperium summum Rōmae habēbit ille quī vestrum prīmus, ō iuvenēs, osculum mātri tulerit'. Tarquiniū inter sē, uter prior, cum Rōmam redissent, mātri osculum daret, sorte constituunt. Brūtus, ratus responsum deī aliud significāre, quasi cāsū prōlapsus esset, terrae osculum dedit, quod ea commūnis māter omnium esset

## THE BANISHMENT OF THE TARQUINS

### Reading 6

Cum Tarquinius Superbus, ultimus rēx Rōmānōrum, Ardeam obsideret, Tarquinius Collātīnus, consōbrinō rēgis genitus, in contuberniō filiōrum rēgiōrum erat. Cum forte in līberiōre convīviō coniugem suam ūnus quisque laudāret, placuit eis experīri. Itaque equīs Rōmam petunt. Rēgiās nurūs in convīviō et luxū dēprehendunt. Inde Collātiam petunt. Lucrētiam

inter ancillās in lānificio offendunt. Itaque ea pudīcissima iūdicātur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus noctū Collātiam rediit et iūre propinquitātis domum Collātinī vēnit et, in cubiculum Lucretiae irrumpēns, pudīcitiam expugnāvit. Illa igitur posterō diē, advocātīs Tricipitīnō patre et Collātinō coniuge, rem exposuit et sē cultrō, quem veste texerat, occīdit, Deinde Tricipitīnus et Collātīnus cum Iūniō Brūtō, sorōre rēgis genitō, in exitium Tarquiniōrum coniūrāvērunt, eōrumque exsiliō mortem Lucretiae vindicāvērunt. Tarquinius Superbus ad Porsennam Etrūriae rēgem confūgit, cuius opē regnum recuperāre tentāvit. Rōmā pulsus, Cūmās concessit, ubi per summam ignōminiam reliquum vītae tempus exēgit. Tarquiniīs in exsiliū actīs, Brūtus et Collātīnus prīmī consulēs creatī sunt.

## HANNIBAL'S DEFEAT AFTER CANNAE

### Reading 7

Hannibalī victorī ceterī suadebant ut quietem et ipse sibi sumeret et fessīs daret militibus; Maharbal, praefectus equitum, minime cessandum esse ratus, 'ut scias quid hāc pugnā sit actum, die quintō' inquit 'victor in Capitolio epulaberis. Sequere; cum equitibus, ut Romanī te prius

venisse quam venturum esse sciant, praecedam'. Hannibal se voluntatem Maharbalis laudare dixit, sed ad consilium pensandum tempore opus esse. Tum Maharbal: 'non omnia eidem dī dedere; vincere scis, Hannibal, victoriā utī nescis'. Mora eius diei satis creditur saluti fuisse urbi atque imperiō.

## DISCORD BETWEEN THE ORDERS

### Reading 8

Ante Carthaginem dēlētā populus et senātus Rōmānus placidē inter sē rem pūblicam regēbant, neque dominiōnis certamen inter civēs erat: timor hostium in bonīs artibus civitatem retinēbat. Sed ubi ille timor mentibus excessit, omnia in duās partēs distracta sunt, et rēs publica, quae media erat, dīlacerāta est. Sed nōbilitās magis pollēbat, plēbis vīs minor erat. Paucōrum voluntāte omnia bellōdomīque agēbantur. Populus mīlitiā atque paupertāte urgēbatur, praedam bellicam imperātōrēs cum paucīs dividēbant. Intereā parentēs aut parvī liberī mīlitum domibus pellēbantur.

## THE DEATH OF TIBERIUS GRACCHUS

### Reading 9

Tiberius Gracchus, P. Africanī ex filiā nepos, tribunus plebis creatus, promulgatīs agrariīs legibus, in ultimum periculum adduxit rem publicam. Octaviō enim collegae magistratum abrogavit et triumvirōs agrīs dividendīs creavit sē, socerumque suum, Appium, et Gracchum fratrem. Tum P. Scipio Nasica, cum esset consobrinus Ti. Gracchī, ex superiore parte Capitoliī hortatus est eōs, qui salvam esse rem publicam vellent, ut sē sequerentur. Tum optimatēs, senatus, et equestris ordinis pars melior et major, irruere in Gracchum, stantem ibi cum amicīs suīs. Is fugiens ex Capitoliō, fragmine subselliī ictus, vitam immaturā morte finīvit. Hoc initium in urbe Romā civilis sanguinis fuit.

### Cicero recounts Pompey's accomplishments

#### Reading 10

Inde cum sē in Italiam recēpisset, Hispaniā et Galliā Transalpīnā praesidiīs ac navibus confirmātā, missīs quoque in Achaiam omnemque Graeciam navibus, duo maria Italiae maximīs classibus firmissimīsque praesidiīs dēfendit; ipse autem, ubi Brundisiō profectus est,

ūndēquingagesimō die tōtam Ciliciam ad imperium populī Rōmānī adiunxit; omnēs praedōnēs, quī ibi fuērunt, partim captī interfectīque sunt, partim potestātī huius unius virī sē dedidērunt. Ita tantum bellum, tam longē latēque dispersum, quō omnēs gentēs ac natiōnēs premēbantur, Cn. Pompeius ultimā parte hiemis parāvit, ineunte vērē suscepit, mediā aestāte cōnfēcit.

### **Cicero warns Rome against Antony (home-work version)**

#### Reading 11

Faciam igitur id quod imperatorēs instructā aciē facere solent, quamquam militēs paratissimōs ad proeliandum vident; ut eōs adhortantur, sic ego vōs ardentēs et paratōs ad libertatem recuperandam cohortābor. Non est vobis cum hoste certamen cum quō aliqua pacis condiciō esse possit. Neque enim servitatem vestram, ut antea, sed iam iratus sanguinem concupiscit. Nullus eī ludus videtur esse iucundior quam sanguis, quam caedēs, quam ante oculōs trucidatiō civium. Non est vobis certamen cum sceleratō homine, sed cum crudelī beluā, quae, quoniam in foveam incidit, occidenda est.

## THE DEATH OF CICERO

### Reading 12

M. Cicero cum triumvirī urbī iam appropinquārent, Romā discesserat quod prō certō habebat militēs Antonii sē interfecturōs esse. Primō ad villam fūgerat; inde ad oram profectus est et nāvem conscendit. Sed cum ventī adversī eum ad lītus rettulissent, taedium tandem et fugae et vītae eum occupāvit. Itaque regressus ad villam, quae paulō plūs mille passibus a marī aberat, “moriar,” inquit, “in patriā quam saepe servāvī.” Servī eius fortiter ac fidēliter eum dēfendere parātī erant, sed ipse eīs ut lectīcam dēpōnerent et quiēte fortunam iniquam paterentur imperāvit. Haud multō post, dum ex lectīcā cervīcem praebet, caput a mīlitibus abscīsum est. Manūs quoque mīlitēs abscīdērunt. Ita caput eius ad Antonium relātum est, quī edīxit, ut id in Rostrīs in forō inter duās manūs ostenderētur; ibi enim Cicero eō ipsō annō Antonium maximā ēloquentiā condemnāverat.